

LOGICA

DIGRESSIO I. SIMPLEX PERCEPTIO.

THESES I. **M**ens rationalis, quâ decoratus ceteris præstat creaturis, & altior nascitur homo, tribus potissimum gaudet veritatis acquirendæ facultatibus, quarum prima est *simplex perceptio*, sive *idea*. II. Hæc ipsa nil aliud est, quam viva rei cujusdam, & nuda in mente depicta imago. III. Perceptionum summa est varietas, si earum species *originem*, seu referas ad *objecta* *, aut modum **, quo eæ ipsa exhibent, perpendas. IV. *Voces* sive *Termini* rebus substituuntur, & varias, sicut *idææ*, quarum indices sunt, subeunt divisiones. V. Inter *affectiones* terminorum *Suppositionem* præ ceteris fufiori dignam examine censuimus.

- * Res quælibet perceptæ sunt perceptionum objecta, circa hæc mens duplici potissimum occupatur actione, a) *Compositione*, quâ tot notis objecta induit, ut omnimodis fiant determinata, sive *individua*; b) *Abstractione*, qua id solum, quod pluribus commune est, considerat: hæc ratione fiunt *ideæ communes*, *Generis* videlicet, *Speciei* &c. — In *ideis* communibus peculiariter notanda veniunt *Comprehensio*, quæ est ipsa notarum collectio, quam *idea communis* exhibet; & *Extensio*, quæ est multitudo subjectorum, quibus eæ ipsa congruit. — Porro crescente *ideæ communis* comprehensione decrescere ejusdem extensionem, in confesso est. ** Pro vario intellectûs acumine, aliisve circumstantiis objecta nunc *clare* nunc *obscure*, nunc *distincte* aut *confuse* repræsentantur; exacta igitur *Definitione* & *Divisione* opus est, hæc enim distinctionem, illa claritatem pariet: Copiam vero solers studium, crebræ attentæ ac liberi animi reflexiones, repetita sensuum applicatio, indeque haustæ experientiæ conciliabunt.

DIGRESSIO II. JUDICIUM.

THESES I. **A**ltera mentis functio *judicium* est, quâ ipsa notiones comparat, earumque ad se habitudini vel assensum præbet, vel dissensum. II. Ad veritatem cujuslibet propositionis (*judicii interpretis*) requiritur adæquata ejusdem cum objecto concordantia, sive, *ut omne id, quod per eam enuntiatur, detur eo modo, loco & tempore, quo & pro quo illud dari ipsa enuntiat* *. III. *Oppositio* propositionum est earundem idem subjectum, idemque prædicatum participantium pugna **. —

- * Hoc principium est lapis veluti lydius, ad quem veritas cujus demum cunque propositionis tutò examinari potest: sic ut affirmativa in *materia contingente* sit vera, requiritur existentia subjecti pro tempore per copulam importato; contrarium est, si fit in *materia necessaria* vel *impossibili*. — *Copulativa* exigit veritatem omnium simplicium; idem est de aliis seu *explicite* seu *implicitè* compositis eidem æquivalentibus. —

Dis-

Disjunctiva striete talis, veritatem unius membri; *Conditionalis* autem nexum peti-
inter *conditionem* & *conditionatum*, atque sic deinceps. ** De legibus *Oppositarum*,
Conversionis, variis quoque animi statibus, *certitudine* nimirum, *scientia*, *opinionem*, *fide*
&c, sicut & de classibus propositionum in *methodo mathematica* usitatarum, requi-
situs differet defendens.

DIGRESSIO III. RATIOCINIUM.

THESES I. Tertia isthæc operatio, quæ *Ratiocinium* sive *Argumentatio*
dicitur, mentis humanæ nobilitatem plenius commendat,
hac enim illa plures judiciorum series concatenando, occultas veritates ex
aliis patentibus in lucem protrahit. II. In quolibet *Ratiocinio* distinguere
oportet *Antecedens*, *Consequens*, & *Consequentiam*. * III. Vis ejus sequenti-
bus veluti totidem basibus innititur principiis: *Dictum de omni*, *Dictum de*
nullo; *Quæ sunt eadem* &c, *Quæ sunt distincta* &c. IV. Species ejusdem sunt:
Entbymema, *Epicherema*, *Dilemma*, *Sorites*, *Inductio*, *Syllogismus* **. V. *De-*
monstratio, evidens deductio propositionis ex aliis evidenter notis, alia est
â priori, alia â posteriori, alia rursus *directa*, alia *indirecta*.

* Leges bonæ consequentiæ: *ex vero vel necessario*, non nisi *verum vel necessarium*: *ex con-*
tingente, *possibili*, *falso*, *per se non nisi respective tale consequitur*. — De regulis specia-
lioribus, pluribusque aliis argumentandi modis, data ausâ. ** Genes Syllogismi
stat in eo, quod ex duorum cum tertio habitudine enuntiata in præmissis, illorum
habitus in conclusione inferatur. — Regulas pro Syllogismis simplicibus, compositis,
singulisque *Ratiocinii* speciebus; modos quoque enodandi *Sophismata* & *Paralogis-*
mos, assignabimus volenti.

DIGRESSIO IV. ARS CRITICA.

THESES I. Veri criteria sunt Regulæ, ad quas mens sua exigit judicia,
ne erret, quæque ad veritatem aut certo, aut probabiliter
assequendam veluti manuducunt. II. Non pauca id genus criteria ad dis-
sipanda *Scepticorum*, *Egoistarum*, *Idealistarum* &c phantasmata sanior Phi-
losofia hodieum suppeditat; ac quidem III. Pro eruenda certitudine
methaphysica, *Autoritatem divinam* *; *Evidentiam* tum *immediatam*, cum *me-*
diatam; *Sensum naturæ communem*; *Perpetuam* & *universalem sensuum legiti-*
mitate donatorum relationem, circa *indeterminatam corporum existentiam*. IV. Hæc
etiam relatio, si constans & uniformis, ipsaque ratione suffultra sit, *citra*
miraculum quoad *corpora singularia*, eorumque bene multas *sensibiles qualita-*
tes, nos fallere nequit. V. *Autoritas humana* **, item *Memoria*, *moralem*
concordant certitudinem. VI. *Judicium probabile* est assensus prudens quidem,
sed non omni ex parte securus. VII. *Probabilitas* alia est *intrinseca*, alia *extrin-*
seca: utraque etiam crescit vel decrescit pro majori vel minori motivorum

valore

valore ac energiâ. VIII. Species cognitionis probabilis sunt *opinio* & *fides humana*. IX. *Opinio* vel oritur ex conjectura, quæ pro vera assumitur, rei cujusdam explicandæ & rationis reddendæ gratia, & dicitur *Hypothesis*; vel ex similitudine, ob quam tribuitur uni, quod convenit alteri, & vocatur *Analogia*. *** X. *Fides* alia est *Historica*, alia *Hermeneutica*; hac Translatori vel Interpreti assentimur; illa referenti facta tempore & loco disita credimus.

* Infalsa prorsus sunt eorum subterfugia, qui sententiam suam ex fidei principiis impugnantibus reponunt, se ab his præcindere, & juxta folius naturæ lumen arguentari, quasi verum posset contradicere vero; multæ profecto veritates naturales cum fide vel moribus connexæ sunt, aut saltem in verbò Dei solidum habent fundamentum: serupulosè tamen nimis philosophantur illi, qui ubique & sine gravi ratione S. autoritatem ad res mere physicas detorquent, hinc dedimus canones, qui rectum S. autoritatis usum in Q. Q. naturalibus edocent. ** Cum autoritas generatim sit excellentiæ quædam, ob quam, qui eâ pollet, fide dignus habetur, totum verò hujus excellentiæ pondus in *scientia* & *veriloquio* sita sit, consecrarium est, humanam autoritatem parere certitudinem dotibus illis ceu adæquatis credendi motivis commensuratum; adeoque respectivè ad gradus qualitatum modo *summam*, jam *mediam*, nunc *infimam* esse. — Porro ordinariè in Q. Q. *Juris*, nisi tamen aliud intercedat, non plus deferendum est hominum testimonio, quàm rationes mereantur, quibus ad hoc vel illud sentimen adducti sunt. — In Q. Q. autem *Facti* probe oportet inspicere a) *personam narrantis*, b) *rem narratam*, c) *modum narrandi*, pro quorum omnium valore probando, quamplures Ars critica subministrat canones. *** Ad Analogiam referantur opinionès *Physiognomicorum*, & *Politicorum*, item illæ de eventibus contingenter futuris, quos a *præsenti causarum dispositione*, & *inductione casuum similium* prædicimus, pro quibus obtinet ista proportio: *probabilitas est ad certitudinem, ut numerus casuum, in quibus eventus est secutus, ad numerum casuum omnium*. — Quæ sint *hypotheseos*, quæ *analogiæ*, ac *fidei hermeneutiæ* leges (quoad *historias* adhibenda sunt criteria, quæ in Q. Q. *facti*) ex quibus iudiciis libri genuini a *spuriis* & *suppositiis*, integri à *corruptis* & *interpolatis* secernantur, coram dicemus.

DIGRESSIO V. METHODUS.

THESES I. **M**ethodus est ratio ordinata tum inveniendæ, tum participandæ veritatis. II. Alia veritatem deregit, totum in suas parres dividendo, compositum in sua principia veluti disfluendo, & hinc *Analytica* seu *Resolutionis* audit; alia a simplicibus ad composita &c pededentim delabitur, & *Syntbetica* vocatur. III. Impedimenta veritatis deregendæ sunt: *mentis imbecillitas*; *memoriæ infidelitas*; *nimia perspicacitatis propriæ fiducia* & *inde parta superbia* vel *præcipitatio*; *inordinata animi affectiones*, *philautia* nempe, *ira*, *invidia*, *spes*, *timor* &c; *præjudicia infantia*, *sectæ*, *autoritatis*; *multivaria non raro vocum significatio* &c, quibus errorum fontibus obstruendis varia præscriptimus media,

META-